

praetor pro concione edixit, celebrataque a viris feminisque est. Omnia templa per totum triduum aequalem turbam habuere: quum matronae amplissima veste cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutae metu, deis immortalibus grates agerent. Statum quoque civitatis ea victoria movit: ut iam inde, haud secus quam in pace, res inter se contrahere, vendendo, emendo, mutuum dando, argentum creditum solvendo, auderent. C. Claudius consul quum in castra redisset, caput Hasdrubalis, quod servatum cum cura attulerat, proiici ante hostium stationes, captivosque Afros vinetos, ut erant, ostendi, duos etiam ex iis solutos ire ad Hannibalem, et expromere, quae acta essent, iussit. Hannibal, tanto simul publico familiarique ictus luctu, agnoscere se fortunam Carthaginis, fertur dixisse: castrisque inde motis, ut omnia auxilia, quae diffusa latius tueri non poterat, in extremum Italiae angulum Bruttios contraheret, et Metapontinos, civitatem universam, excitos sedibus suis, et Lucanorum qui suac ditionis erant, in Bruttium agrum traduxit.

EPITOME LIBRI XXVIII.

Res in Hispania prospere gestae a Silano, Scipionis legato, et ab L. Scipione fratre adversus Poenos, a Sulpicio proconsule et ab Attalo rege Asiae adversus Philippum regem Macedonum, pro Aetolis, referuntur. Quum M. Livio et Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset, Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invictus est; Nero, qui in collegae provinciam, ut victoriam eius adiuvaret, venerat, equo est secutus, et in hoc habitu plus gloriae reverentiaeque, habuit: nam et plus in bello, quam

T. LIV. TOM. III.

R

collega, fecerat. Ignis in aede Vestae negligentia virginis, quae non custodierat, extinctus est: virgo caesa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Poenis debellavit quarto decimo anno eius belli, quinto post anno, quam ierat: exclusisque in totum possessione eius hostibus, Hispaniam recepit: et a Tarracone in Africam ad Syphacem regem Numidarum duobus naviis transvectus, foedus iunxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto accubuit. Munus gladiatorium in honorem patris patruique Carthagine Nova edidit, non ex gladiatoribus, sed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Quum Astapa urbs ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos et coniuges rogo exstructo occiderunt, et se insuper praecipitaverunt. Ipse Scipio, dum gravi morbo implicitus est, seditionem, in parte exercitus motam, confirmatus discussit, rebellantesque Hispaniae populos coegit in ditionem venire; et, amicitia facta cum Masinissa rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam traieccisset, pollicebatur, cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Carthagine scriptum erat, ut in Italiā traiceret, Romam reversus consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est: permissumque, in Africam traiceret, si ex republica esse censeret. Mago, Hamilcaris filius, a minore Balari insula, ubi hiemarat, in Italiā traiecit.